

## Seneca, *Naturales Quaestiones* VII 31

(con riadattamenti)

*Id quod unum toto agimus animo nondum perfecimus, ut pessimi essemus: adhuc in processu vitia sunt; invenit luxuria aliquid novi, in quod insaniat, invenit impudicitia novam contumeliam sibi, invenit deliciarum dissolutio et tabes aliquid adhuc tenerius molliusque, quo pereat. Nondum satis robur omne proiecimus: adhuc quicquid est boni moris extinguimus. Levitate et politura corporum muliebres munditias antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus, tenero et molli ingressu suspendimus gradum (non ambulamus sed incedimus), exornamus anulis digitos, in omni articulo gemma disponitur; cotidie comminiscimur per quae virilitati fiat iniuria, ut traducatur, quia non potest exui. Miraris igitur si nondum sapientia omne opus suum implevit? Nondum tota se nequitia protulit: adhuc nascitur, et huic omnes operam damus, huic oculi nostri, huic manus serviunt. Ad sapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat nisi quam in transitu noverit? Quis philosophum aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies quem perdere libet? Itaque tot familiae philosophorum sine successore deficiunt: at quanta cura laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat! Philosophiae nulla cura est. Itaque adeo nihil invenitur ex his quae parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa quae inventa erant oblitterentur.*